

1501.



102



- (12) de vindicta privata Joh. Eichel 70 Ro.
- (2) de jure necessitatis Joh. Eisenhard
- (3) de delictis criminis Henr. Hahn. 70
- (4) de polygamia Philip. Reinh. Vitriarius
- (5) de sequestratione Enoch Glaser
- (6) de jure repressalium Henr. Otto Tücke
- (7) de repressaliis Henr. Hahn.
- (8) de jure clarium Joh. (id.) Bekrens. Argentor.
- (9) de jure feudali Mart. Brandes. Rint.
- (10) de feudi alienatione Ernst. Frid. Schröter
- (11) de iudiciis regalium Henr. Hahn. Henr. Conring de rebus publ. in genere
- (12) de variis formis Henr. Hahn. Rintelii
- (13) de optima Republica Henr. Conring.
- (14) Dissertatio romana Germanici imperii Joh. Christian Teuto. Herlip.
- (15) de statu imperii Romani Germanici Joh. Simoni dissert. Apologika
- (16) de jure Principum: Philip. Reinh. Vitriarius.
- (17) de obligati et non obligati principum: Joh. Volkm. Beckman
- (18) de maiestate Regum: Marci Zueri Boxhornii
- (19) de septem viris seu Electoribus: Henr. Conring.
- (20) de Transactionibus: Henr. Hahn.
- (21) de regali vectigalium jure Georg. Werner.
- (22) de ratione Status: Henr. Conring.
- (23) de vera et falsa ratione Status: Rensing Colonia Agr. 1637.
- (24) positiones ex jure naturali desumptae: Henr. Bodini.

DISSERTATIO
INAUGURALIS,
De
JURE REPRESENT-
SALIARUM.

Quam,

D.O.M. annuente,

EX DECRETO ET AUTORITATE,
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI
ICTORVM ORDINIS, IN ILLVSRI ACADEMIA
MARPVGENSI,

Pro


Summis, in utroq; Jure Honoribus ac privilegiis
DOCTORALIBUS, ritè & justè obtinendis,

*Publica ac solenni Procerum Academicorum examini
submittit*

HERMANOTTO TÜRCKE/
HANNOVERANUS.

In ICTorum AUDITORIO H. Lq. C.

Die XXVIII. Junii.



MARPURGI CATTORUM

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Academia Typogr.
Anno clc lxc LX.

DISSEMINATIO

IN AUSTRIA

THESE

SALUTARI

EX DECRETO ET Auctoritate

MAGNIFICENTISSIMI

ACADEMICI SENATUS

IN AUSTRIA

ACADEMIAE

SCIENTIARUM

PHILOSOPHICARUM

ET POLITICARUM

IN VIENNA

IN AUSTRIA

ACADEMIAE

SCIENTIARUM

PHILOSOPHICARUM

ET POLITICARUM

IN VIENNA





Quod Felix faustumque sit!

De

JURE REPRESSALIARUM,
DISSERTATIO.

PRÆLOQUIUM.


PAX ET CONCORDIA, nisi justitia æqualiter administretur, conservari non possunt; *Reichsabschied zu Augoburg* de anno 1530. *S. Weiter nach dem.* Sæpius tamen fit, ut insuper habeatur æqualis hæc justitiæ administratio; erga externos præsertim. Uti contra expressum mandatum divinum, *Deuter. c. i. v. 16. Iacob. c. 2.* Sic cum certissimo pacis, imò totius Reipublicæ detrimento. Hinc enim bella, hinc violenta remedia alia. Quibus, ut non injustè, sic in extremo demum necessitatis casu rectè & meritò utimur. Cùm enim, teste *Cicerone*, duo sint genera decertandi, unum per *disceptationem*, alterum per *vim*, cumque illud proprium sit hominum, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si

uti non licet superiore. Extremis igitur remediis tunc neces-
sariò locus erit, quando aliud medium legitimum non super-
est, quo justum nobis debitum consequamur, quòd alioqui
magna daretur injuriis faciendis licentia; Ex quo apparet,
quod necessitas *Executiones violentas*, inter quas *REPRES-*
SALIÆ non ultimum locum occupant, introduxit. *Hugo*
Grotius de j. B. & P. l. 3. cap. 2. §. 2. Nos, relictis reliquis exe-
cutionis violentæ speciebus, de *REPRESSALIIS* per cau-
sas, & loca reliqua, methodo in scholis usitatâ, paucis, tem-
poris angustia atque instituti ratione habendâ, pro viribus in-
genii & lectionis penu, Deo adjuvante, agemus, ordientes à
definitione tum nominis, tum rei.

THEOREMA I.

Etymol.

Deducunt vocabulum *Repressaliarum* (quæ etiam
pressalia, *reprasalia* & *prasalia* dicuntur, Petrus de
Vineis *l. 5. epist. 48.*) Varii variè. Quidam à *re-*
presentatione aliorum, quòd videlicet detentire-
presentent personas eorum, qui petitori jus & justitiam de-
negarunt, Matth. Coler. *de process. execut. part. 1. c. 2. n. 304.*
Alii à *Presfa*, quod *capturam* significat Italis, Gail. *de pignor. obs.*
2. Et à composito *riprendere* descendit, aut à Gallico *re-*
prendre & reprise & iterum capere, vel resumere notat, Greg.
Tolos *Syntag. jur. univ. l. 38. c. 8. num. 4.* Alii à *reprimendo*,
quòd hisce alterius injustitia reprimatur, Mindan. *de process. à*
Cam. extrah. l. 1. c. 49. sect. 1. Nonnulli à *repradando*; Petr.
Frider. Mindan. *l. 1. de process. c. 46. n. 1.* Johan. Limnæus *jur.*
publ. lib. 4. c. 8. §. 305. non dubitat, quin peregrinum hoc sit
vocabulum, nec latinitati ullâ conveniens ratione, utut, allu-
sione rem exprimente, ad eam ab aliis trahatur. Hinc for-
tassè



rafè rectiùs & elegantius *repetitionem violentam* dixeris; sed,
ut ait Budæus, juris interpretes malunt *repressalias* dicere, usq;
adeò barbaries ad stomachum rusticitatis facit.

THEOREMA II.

Repressaliæ dicuntur etiam CLARIGATIONES propter *Synon.*
similitudinem quam cum his habent. Heigius *p. 1. quest. 12.*
n. 10. & seqq. Germ. *Sehde / rechtliche Hemmung.* in recess.
Imper. zu *Speyer* Anno 1570. §. *Wann auch.* vid Gail. *de*
pignor. obs. 2. num. 7. cum seqq. item PIGNORATIONES.
auth. 57. pr. & c. 1. & in legibus Longobardorum tit. de pi-
gnorat. & debitis. §. 3. p. 189. Grotius *d. tr. lib. 3. cap. 2. §. 4.*
Gallis droict de marque, quia, uti refert Cujacius *ad l. un. C. ut*
nullus ex vicin. in limitibus potissimum exercetur, quo jure
utuntur Reges ad injurias regnicolis suis vel alibi illatas vin-
dicandas. Gothofr. *ad Nov. 52.* Grotius *d. l. quicumq;* enim
illorum, quibus hæc jura indicuntur, territorium ejus, qui
indicit, intrat, ibi retineri cum bonis, usque ad satisfactio-
nem, potest Gregor Tolos. *Syntag. jur. univ. l. 38. c. 8. num. 5.*
Saxonibus & Anglis, *Withernamium*, à Germanico *wieder*
nehmen / cui ad amissim respondet vox Repressaliarum
Grotius *d. tr. c. 2. in annotat. ad §. 1. verbo pignorationes.*

THEOREMA III.

Cæterum accipitur vox repressaliarum modò *strictè*, *Definit.*
pro prehensione vel personarum tantum, vel rerum tantum,
modò *latè*, pro captione & detentione tum personarum rei
alicuius mobilis, vel se moventis pro alio, publicâ authorita-
te facta. Quæ posterior acceptio hujus est loci. Et in hæc
describi possunt, quòd sint EXECUTIO QUÆDAM VIO-
LENTA, quâ creditor extraneus debitoris sui concivem, aut res

eiusdem, in suo territorio, publicâ autoritate, apprehendit & retinet, pro juris & debiti sui liquidi, aperti & probati, eius nomine denegata, aut protracta iustitia, & ad quod aliter pervenire non potest, conservatione.

THEOREMA IV.

Dicitur I. Quod sit EXECUTIO QUÆDAM VIOLENTA & hactenus cum aliis executionis violentæ speciebus eidem convenit; Dicitur II. QUÆ CREDITOR EXTRANEUS & c. & in hisce verbis consistit differentia, eadem & constituens & distinguens à reliquis executionis violentæ speciebus. Cujus uberiorem intellectum suppeditabit expositio causarum, quam dehinc aggredimur, & 1. quidem causæ efficientis.

THEOREMA V.

Causa efficiens remota.

CAUSA EFFICIENS Repressaliarum est vel *Remota*, vel *propinqua*. REMOTA EST illud jus quod usu exigente, & humanis necessitatibus constitutum fuit, & *Gentium* appellatur, Hugo Grotius *d. tr. l. 3. c. 2. §. 2.* Bellum enim ex hoc jure descendit per §. 2. *Inst. de jure N. G. & C.* Ergò & repressaliæ, quæ ad instar justî belli sunt. Martin. Laudens. *in tract. de repress. §. 5.* Covarr. *c. peccatum, part. reliq. 2. quest. 1. num. 9.* & ob easdem causas, ob quas bellum aliàs suscipi possit, conceduntur; Si igitur eo in casu, quo aliqua gens neglexit facere iustitiam, necessitas & naturalis æquitas dicitur, quòd contra illam bellum geri possit *c. dominus noster, causa 23. quest. 2.* in quo bello licitè capi possunt homines & bona capta detineri *l. 5. §. fin. ff. de acquir. rer. dom. §. 17. l. de rerum divis.* Sequitur inde, per bonam consequentiam, quòd etiam dicitur, eo in casu repressalias decerni; Ex quibus apparet, quòd quædam repressaliæ omninò injustæ non sint, licet enim

enim

enim aliquo modo durum videatur, personas & bona earum apprehendere & detinere, quæ nobis alio juris prætextu obligatæ non sunt, quàm quòd earum magistratus justitiam nobis denegaverit, tamen, rei veritate inspectâ, durum non est, vel ex hâc ratione, quod inter cives invicem & ipsum Magistratum est quidam mutuus nexus, & unio quædam, ita ut si non per unum omnes peccare videantur, saltem si unus deliquerit, reliqui omnes id agere teneantur & ad hoc obligentur, ut injuriam passo satisfiat, quod si non faciant, ipsi quodammodo se participes facere injuriæ videntur. Bachov. *in tract. de pign. & hypoth. c. 12. n. 5.* Idque porrò expressit humana necessitas, ad coercendam injuriarum licentiam, quæ magna vi & impetu in orbem irrumperent, nisi tali poena coercerentur, difficilius enim imperantium bona, aut unius debitoris in manus perveniunt, quàm singulorum. Præterea spes est facilius membra ejusdem societatis à se mutuo jus consequi posse & indemnitati suæ consulere, quàm externos, quorum multis in locis exigua habetur ratio; commodum quoque ex hac obligatione commune est omnibus populis, ita ut qui nunc eo gravetur, alio tempore inde sublevari possit. Hugo Grotius *d. tr. l. 3. c. 2. n. 2.* quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit *l. 44. ff. de pact. l. 1. pr. ff. quod quisque juris in alt.*

THEOREMA VI.

Sed Quæritur: *An Repressalia cum jure Divino, Canonico & Civili convenient nec ne?* Nos affirmantium opinionem, modò debita requisita, de quibus in seqq. observata fuerint, sequimur. Nam I. in sacra Scripturâ non est novum, ex delicto aliorum punitos alios: exempla referuntur Numer. *Repressaliæ cum jure Divino, Canonico & Civili convenient.*
31. Exod.

31. *Exod. 4. & 12. Ios. 7. 1. Reg. 4. 2. Reg. 24. 4. Reg. 5. Et nonne Hierem. 22. exclamat Deus? facite justitiam & iudicium, & liberate vi oppressum, de manu calumniatorum & advenam & pupillum & viduam, nolite contristari, neque opprimatis iniquè & sanguinem innocentem non effundatis in loco? sequitur poena. Quod si non audieritis verba haec, in memet ipso juravi, dicit dominus, quia in solitudine erit domus haec, (id est civitas Jerusalem, secundum interpretationem Hieronymi) eritque anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius*
 3. *Reg. 20. Idem minatur Christus apud Mattheum, 21. quod propter injustitiam auferatur regnum, & detur justitiam facientibus. Eccles. 9. Regnum à gente in gentem transferretur, propter injustitias & contumelias & diversos dolos. Si igitur jus Divinum concedit, ut ob injustitiam auferatur regnum, quanto magis concedet, ut, jure repressaliarum, auferatur iudicandi potestas magistratui nolenti justitiam facere, & detur magistratui ipsius creditoris, qui contra magistratum tanquam debitorem, & cives illius universitatis, qui ex tacitâ quadam communionis obligatione de facto superiorum tenentur, repetitionem violentam decernet. Non enim, inquit Ictus in l. 21. ff. de R. I. debet, cui plus licet, quod minus est non licere, minus autem est officium iudicandi, quam integrum regnum. II. Jus Canonicum repressaliis non adversatur, quod probat capit. dominus noster 23. q. 2. ibi: *justa autem bella definiri solent, quae ulciscuntur iniurias, si qua gens vel civitas quae bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniurias ablatum est. c. justum. 23. q. 2. ibi: justum est bellum, quod ex Edicto geritur, de rebus repetendis. Nec absurdum est pro delicto concivis vel universitatis civem puniri, nam & jure Canon. pro delicto*
 supe-*

superioris sive secularis, sive ecclesiastici, à divinis officiis, item ab ingressu ecclesiæ & usu sacramentorum excluditur non tantum ipse delinquens vel rebellis, sed etiam tota ipsius terra ac homines, qui ad ejus jurisdictionem quoquo modo pertinere dignoscuntur. *cap. non est. X. de sponsal. c. sane. 11. X. de offic. & pot. judic. deleg. cap. si sententia. §. cæterum. si propter delictum domini. & ibid. Glossa verb. interdicti. de sentent. excommunicat. in sexto. III.* De jure Civili potest quis esse judex, quando judicis copia haberi nequit *l. generali. 54. C. de Decurion. l. ait prator. 10. §. si quis debitorem. 16. ff. de his qua in fraud. credit. l. nullus. 14. à contrario sensu C. de judais l. creditores. 3. ubi Bartol. Salicet. & alii. C. de pignor. l. ne quid. 7. §. bellissimè. 3. quod vi aut clam. l. un. ibiq. Gothofr. in not. C. ne quis in sua causa judic. ubi ait: volunt interpretes, quemlibet posse sibi jus dicere in defectum judicis, ergo multo magis creditor, cui denegata fuit justitia à magistratu debitoris, cum consensu sui magistratus represaliis uti potest. Item licet de jure civ. capere debitorem fugientem propriis manibus, ut ducatur ad judicem, *l. dies festos. & ibi Gl. C. de feriis.* Sed populus vel gens negligens nobis facere justitiam dicitur esse debitor noster, *c. dominus noster. c. 23. q. 2.* Ergo ipsius populi personæ vel res poterunt capi à nobis propria autoritate, *arg. l. pro herede. ff. de acq. hered. maxime si copia superioris haberi nequeat arg. l. creditores. C. de pignor. l. possessio. ff. de acq. possess. ut ut enim regulare sit, neminem pro alterius delicto vel debito obligari, non tamen omninò in jure desunt casus in contrarium excepti, propter utilitatem & commodum publicum, uti videre licet in *l. 4. §. 2. ff. de offic. procons. l. 6. C. in quibus causis pign. tac. l. 4. C. eod. l. ult. C. de primipil.* Vid. Limnæum *d. l.* atque de jure**

consuetudinario, nec non communi observantia illud usitatum esse, quod in casu non impetratæ à superiore contra debitorem nostrum justitiæ, liceat detinere res vel homines, testatur Jacob. à Canibus *in vr. de repress. n. 17.* quem allegat & sequitur Matthias Coler. *d. c. 2. n. 315. in fin.* Petr. Gud. *de jure noviss. lib. 3. c. 11. n. 6.*

THEOREMA VII.

*Respondetur
dissentientibus.*

Quòd cum ita sit, facile dissentientibus responderi potest. qui repressalias I. **ÆQUITATI NATURALI** inde contrarias esse dicunt, quia per repressalias alii, pro aliis, capiuntur, & bona non debentium, pro bonis debitorum, at natura iniquum judicat, ut aliquis locupletetur cum alterius damno & jacturâ, *l. 14. de condiçt. indeb. c. locupl. 48. de Reg. jur. in sexto.* Item, ut pœna sit, ubi non est culpa *l. sancimus. 22. C. de pœnis. l. crimen. 26. ff. eod. S. 3. l. de j. & j.* Resp. quòd utens Repressaliis non locupletetur ex alieno; sed imò suum consequitur, & postea iste exactus, pro Repressaliis, habet remedium contra eum, pro quo exactus est, ut not. Bartol & Dd. *l. 2. in fin. ff. de V. O.* Dein nec innocentes omninò sunt, qui pro aliis capiuntur, quia ex tacita communionis obligatione tenentur *arg. l. cum mandatu. 23. ff. de Minor. licet quidem sine culpa non tamen sine causa. c. sine causa. de Regul. jur. in sexto.* II. **JURI DIVINO**: quia anima quæ peccat ipsa morietur: & filius non portabit iniquitatem patris: justitia justis cum ipso erit, & improbitas improbi cum ipso erit, Deuteron. 24. vers. 16. Ezech. 18. vers. 4. & 20. Jerem. 31. vers. 30. sed allegati textus nihil obstant, quia loquuntur de pœnâ mortis, quæ Repressaliatis non infligitur. III. **JURI CANON. ET CIVILI**: per cap. un. de Injur. in 6to. Novell. 52. c. 1. l. un. C. ut nullus ex vicin. l. 4. C. de execut. & exact. & plures alios textus.
item

item per Recess. Imper. item Leges Longobardorum. qui textus ve-
tant Repressalias, & nolunt, pro alterius delicto vel debito
alterum obligari. RESP. generaliter, quod istæ prohibitio-
nes ex allegatis textibus obtineant tantum inter eos, qui cer-
tis gradibus unicum recognoscunt superiorem. Hi enim
cum possint ad superiorem appellare, &, quod ab interme-
dio denegatum, jus ab illo consequi, repressaliis opus non est
arg. l. 13. §. equissimum. 3. ff. de Vsufr. Contra externos au-
tem, injuriam inferentes, justam repetitionem esse, supra
probavi.

THEOREMA VIII.

Causa efficiens Repressaliarum propinqua est vel *prin-
cipalis*, vel *impulsiva*. Principales sunt ii, qui Repressalias con-
cedunt, aut possunt concedere. Est autem potestas repres-
salias concedendi penes Magistratum creditoris, cui alibi
fuit denegata justitia, & illum quidem, qui superiorem non
recognoscit. Repressaliæ enim sunt quædam quasi species
belli, Martin. Laudens. de Repressal. num. 5. Covarruv. c. pec-
catum. part. 2. quest. 1. n. 9. Gail. de pignoribus. obs. 2. belli au-
tem indictio non nisi superioris ossibus adhæret, Limnæus
lib. 4. jur. publ. c. 8. num. 313. Ergo nec Repressaliarum con-
cessio aliis competet. Et hoc meritò, quia aliàs respublica
nunquam quiescet à turbis, quælibet enim civitas vel impati-
ens Magistratus verisimilem quandam causam finget & vin-
dictam propriam sumet, quia de rebus nostris & nostrorum
judicantes affectu corrumpimur, Hugo Grotius l. 2. c. 20. n. 8.
Hinc in Galliâ Carolus VIII. Repressaliarum concessionem
ad majestatis revocavit jura, sibi que soli vindicavit, quum
antea cum præfectis provinciarum & summæ curiæ regni

Causa effici-
ens propin-
qua princi-
palis.

communem haberent, teste Bodino *lib. 8. c. ult. de Republ.*
 Guido Papa *decis. 33. fin.* In Imperio Romano Germanico
 jus concedendi repressalias, respectu Imperii, ex eodem capi-
 te, plerique Soli Imperatori transcribunt, *Wesemb. conf. 46.*
num. 7. Coler. *de process. execut. p. 1. c. 2. num. 280.* Heig. *q.*
12. n. 5. p. 1. Reink. *de Reg. sec. & Eccles. lib. 1. c. 5. cap. 6. n. 126.*
 & novissimè de Peschwitz. *de repress. c. 5. n. 10.* Sed, cum re-
 pressaliæ sint quasi quædam belli species, ceu sæpiùs inculca-
 tum, & , per Repressaliarum exercitium, toti Imperio da-
 mnnum creari possit, (si enim detineantur apud nos exteri, &
 propterea à apud exteros nostrates, tandem ad arma & bellum
 ultrò citroq; descendetur) verius fortè erit, ut belli indicen-
 di, sic Repressalias quoque, nomine Imperii, concedendi jus
 eundem, sine statuum Imperii, aut Electorum saltem assensu,
 exercere non posse, vel arg. *Capitul. Imper. art. 11. An autem*
etiam Status Imperii qui vis in suo territorio, vi superioritatis ter-
ritorialis, Repressalias concedere queant? Id negant quidem
Wesemb. d. conf. 46. num. 7. & 19. Coler. *d. l.* Gail. *de pi-*
gnor. c. 2. n. 2. Reink. *d. l. n. 127. & alii.* Sed potius est, ut
 asseramus, cum *Limn. de l. P. vol. 1. l. 4. c. 8. n. 313.* & de Pesch-
 witz. *d. l. num. 12. & seqq.* saltem iis in casibus, quibus etiam
 belli gerendi jus iis est. De quibus, post recess. Imp. de Anno
 1526. §. darauff. ordin. pac. publ. de Anno 1521. tit. *Die Poen*
der Friedbrecher. Vid. *Limn. d. l. num. 247. & seqq.* Idque
 etiam usus & consuetudo confirmant, testib. *Mindan. lib. 1.*
process. cap. 49. membr. 4. in fin. Pruckman. *consil. 17.*
num. 104. v. 1. & Limn. d. n. 313.

THEORE-

THEOREMA IX.

CAUSA IMPULSIVA, ob quam conceduntur Re- ^{Impulsiva.}
 pressalia, in genere est denegatio juris, aut justitiæ, docente
 post Bartol. Jacob. de Canibus, & alios tract. de Reppressal.
 Grotius *de jure bell. & pac. lib. 3. c. 2. n. 4. in fin.* Denegari
 autem jus aut justitia intelligitur I. si Princeps, aut populus
 requisitus, in litem aut debitorem, judicium, intra tempus
 idoneum, non impertitus fuerit, *c. Dominus noster. caus. 23. q. 2.*
 Bartol. *de Reppress. q. 1.* Joan. de Lignan. *eod. tr.* Petrus Gre-
 gor. *syntagm. lib. 38. c. 8. num. 10. 11.* Grot. *d. l. num. 5. in pr.*
 II. Si judicium quidem impertitus fuerit, sed, in re minimè
 dubiâ, planè contra jus, judicaverit, & sc. seu evidenter no-
 centem & reum absolverit, seu innocentem condemnave-
 rit, & solvere coegerit; per & secundùm tradita Paridis de
 puteo *in tr. de syndicat. in verbo quidam. fol. 28.* Jacob. à Ca-
 nibus *d. tr. de Reppress. n. 20.* Grotius *d. n. 5.* & pluribus aliis
 in casibus qui videri possunt apud Bartol. *d. tr.* & alios.
 Planè, narrare aut allegare, quòd judex requisitus jus, aut ju-
 stitiam denegaverit, non sufficit, sed probandum est. Nam
 regulariter in judice non præsumitur negligentia, nisi proba-
 ta sit legitima requisitio, *per l. 2. C. de offic. civil. judic. l. 1. C. de*
suscept. præp. & arc. Nov. 17. c. 3. probandum est, inquam, per
 instrumentum publicum, aut testes omni exceptione maio-
 res, non per juramentum affirmantis, cui hætenus non cre-
 ditur, etiamsi juret, se desperâsse de jure consequendo; tra-
 dente notabiliter Gail. *1. obs. 28.* & Gilhaus. *arb. judic. cap. 10.*
num. 47. Imò nec juris aut justitiæ denegationem probâsse,
 sufficit, sed & id insuper requiritur, ut damnum exinde emer-
 gens sit enorme, aut injuria gravis. Cùm enim concessio re-



pressaliarum sit res magni momenti & præjudicii, in causa parvi præjudicii locum non obtinet; Cubach. *cent. 3 decis. 2. q. 4. fol. 663.* Præterea considerandum ante omnia est, num ex hac denegatione detrimentum magnum in publicum redundet, an privatum tantum sit, & maneat? Quo posteriori casu, si publicum, quod ex concessione Repressaliarum timetur, damnum magnum sit, minus potius insuper habendum, ne majus sequatur *arg. l. 4. ff. de restit. in integr. l. 21. ff. de Except. salus populi suprema lex erit, & utilitas publica præferetur privatorum contractibus l. 3. C. de primipil.* Nec creditor de suo magistratu denegante Repressalias potest conqueri, quasi contra officium suum agat. Nam Princeps propter utilitatem publicam alteri jus suum auferre potest, *arg. l. 15. §. 2. ff. de rei vind. l. 51. in fin. ff. ad L. Aquil. l. 37. ff. de rebus autor. jud. poss. l. 2. ff. de natal. restit.* Sed Quæritur an hoc casu creditori pretium restitui debeat? affirmant hoc Duaren. ad l. 13. §. 1. ff. communiæ præd. Pinell. ad l. 2. C. de rescind. vendit. p. 1. rubr. c. 2. n. 14. Vasquius *ib. 1. illustr. controvers. c. 5.* Illud tamen æquitatem tunc demum postulare, quando sine rei publ. jacturâ restitui potest, ait Arnisæus de jure Majest. l. 3. c. 1. n. 9. p. 479.

THEOREMA X.

Quibus conceduntur repressalia.

Sequitur hinc Repressaliarum subjectum, h. e. ii, quibus conceduntur Repressaliæ. Conceduntur autem, & dantur personis læsis, magistratui suo vel mediatè, vel immediatè subjectis, quique communia vectigalia, onera & munera patriæ cum aliis subeunt. Bartol. *d. tr. q. 5. num. 1.* Damhud. *prax. crim. c. 100. n. 12.* propriè municipes dicti, quasi munerum participes, recepti in civitatem, ut munera nobiscum faciant

faciant *l. 1. ff. ad municip.* per municipes autem intelligo eos, qui eo tempore, quo damnum paterentur, subditi fuerint Magistratus, & hactenus in eius subiectione permanserint *l. 4. §. 1. ff. de Noxal. action. l. 1. §. si servus. ff. deposit. l. 46. ff. de obl. & act.* vid. Bartol. *d. tr. q. 5. n. 11.* cum enim de jure Gentium licitum sit, tutelam corporis sui, intellige tam individui, quam mystici, suscipere *l. 3. ff. de j. & j.* (nam universitas est corpus mysticum, quod continet partes suas, id est, singulos de universitate *l. 1. pr. ff. quod cuiusque univers.*) incumbet civitati defendere singulos de universitate, tanquam partes corporis mystici, Martin. Laudens. *in tr. de Repress. num. 6.* non item eos qui sunt extra corpus suum, nam de his non pertinet ad eam judicare, quales sunt *forenses*, Bartol. *d. tr. q. 5. n. 11.* Hinc excluduntur omnes *extranei & Advena*, item *Originarii*, alibi habitantes, dummodo non sustineant onera & munera civitatis; Ruin. *cons. 200. n. 12.* Item *Rebelles*, qui à Magistratu suo desistunt, & in hostium numerum se conferunt *l. 5. §. 1. ff. de cap. min. l. 19. §. 7. ff. de captiv. & postl. rev.* quos, ut latrones publicos, & societatis eversores, occidere licet *l. 3. §. fin. ff. ad L. Corn. de Sicar.* uti & *Banniti* seu proscripti ab aliquâ civitate qui jure civ. pro mortuis & hostibus habentur *l. 1. §. pen. in fin. ff. de bon. poss. contr. rabb. l. 3. ff. ad L. jul. pecul. l. 13. ff. de bon. poss.* Ex constitutione autem pacis publicæ tam corpus & vitam, quam omnia bona & jura quæ habuerunt, amittunt, sive iure Civili, sive Gentium, illa quæsierint, per textum express. in Ordin. Cam. *p. 2. tit. 9. §. So jemandts. ver. so bald auch der. ibi. sollen des oder derselbē Leib und Gut. &c.* Mynsing. *c. 5. obs. 78. n. 3.* Gail. *l. 2. de pace publ. c. 1. n. 23. & seqq.* Mindan. *de process. in Cam. extr. lib. 1. c. 26. num. 5.* An autem & incolæ excludantur queritur? Et distinguo:

distinguo : nam incola aut subiit munera , & tunc non excluditur, aut non subiit munera civitatis , & meritò excluditur, quod probatur I. per regulam juris ; qui sentit onus , debet sentire commodum & è contra *l. manifestissimi. 22. §. 3. C. de furtis. l. 10. ff. de R. l. 11. per l. 9. C. de SS. Eccles. l. 1. C. de Collegiat. III. per l. 1. ff. ad municip.* ubi dicitur ; quod illi propriè dicuntur municipes , qui munera simul obeunt , ergo ei, qui non subiit onera , non competunt privilegia municipum. IV. Nemo dicitur habere privilegia alicuius artis , nisi , qui eam exerceat *l. nemini. 3. C. de Consul. l. Scriniarios. 16. C. de Testam. milit.* V. celebratur contractus inter civitatem & incolam ultro citroque obligatorius, incola enim ad munera obligatus est *d. l. 1. ad Municip. l. 29. eod.* Civitas verò ad defensionem & protectionem ipsius *l. 6. §. 2. ff. de offic. prasid.* Jam ille, qui non implet contractum ex parte suâ , non potest petere, ut sibi impleatur *l. 13. §. 8. ff. de action. empti*; Unde ille, qui munera non subiit , rectè excluditur à petitione repressaliarum, Bartol. *d. tr. q. 2. §. 1. & 2.* Porro Quæritur : *An confœderati à concessione repressaliarum excludantur ?* & imprimis pacta confœderationis inspicienda sunt , quæ possunt ita stricta esse , ut non comprehendant repressalias , cum à pactorum formâ non sit recedendum *l. 1. & l. 5. ff. de pactis.* in dubio tamen quando pacta latè circumscripta sunt videntur concessæ, *arg. l. non dubito. ff. de captiv. & postlim.* Confœderatio enim in dubio facit, ut duæ civitates censeantur unum corpus quoad protectionem, secundùm Baldum, *in l. executorem. 8. C. de execut. rei judic.* vid. Martin. *Laudens. tr. de Repress. n. 31.* Illi tamen cives, qui quidem de universitate sunt , munera tamen publica, ex privilegio singulari non subeunt, neque jurisdictioni seculari subiiciuntur , quales sunt Clerici *auth. statusi-*

statuimus. auth. item nulla potestas C. de Episc. & Cleric. Bartol. d. tr. q. 5. n. 3. à concessione Repressaliarum haut excluduntur, ne, ut ait Bartolus d. l. quod in favorem eorum concessum est privilegium, redundet in odium l. 6. C. de legib. l. 25. ff. eod. l. 61. C. de Decurion.

THEOREMA XI.

Objectum Repressaliarum sunt personæ, contra quas conceduntur, & concessæ exercentur. Conceduntur autem, *Contra quas personas, Repressalia cōceduntur.* regulariter & ordinariè, contra debitoris extranei concives. Et concessæ generaliter in quaslibet regulariter personas, quæ illius sunt gentis, aut populi, qui jus aut justitiam denegavit, licitè & rectè exercentur, Castrenf. i. *consil* 78. n. 6. Limæus *de jure publ.* l. 4. c. 8. num. 316. nisi specialiter exemptæ & exceptæ fuerint. Excipiuntur autem quædam jure Gentium, quædam jure Civili & Canonico. Jure Gentium excipiuntur I. Quas ipsa Repressaliarum natura eximit, quales *Excip. de jure Gentium.* v. c. sunt CREDITORIS PETENTIS CONCIVES, & SUBDITI concedentis PROPRII. Nam inter conterraneos & concives non opus est concessione Repressaliarum, tanquam remedio extraordinario, & subsidiario, quum aliis modis & remediis, omnibus imperii alicuius membris & subditis satis sit consultum, Cubach. *cent.* 3. *decis.* 2. q. 3. fol. 662. Sic in Imperio nostro adversus unumquemque subditum judicia patent, & adhuc latâ etiam in summo tribunali Cameræ Spirensis sententiâ, revisionis beneficium tribuitur, Heigius *d. q.* 12. num. 32. Unde nunquam fieri potest, ut inter Germanos hujusmodi pignorationes procedant, quemadmodum inter subditos Regni Galliæ ex abrogatæ sunt, teste Cujacio in *l. un. C. ut nullus ex vicaneis.* Cur enim, inquit Jctus, ad arma procedere

cedere patriatur Prætor eos, quos potest jurisdictione sua compescere, *in l. æquissimum 13. §. 3. ff. de V. usufr. &* everso iudicii ordine, ab executione auspicari, ubi salva & incolumis rerum persecutio in consistorio Imperiali patefacta sit? contrarium tamen invaluisse in Germaniâ refert Mindan. de process. *lib. 1. c. 49.* de factò potius, quàm jure. Excipiuntur Rebelles qui merito ad officium quibusvis modis à Principe cõpelluntur, sic de Friderico II. Imperatore refert Petrus de Vineis *l. 5. epist. 48.* quòd contra Rebelles Imperio Picentes, ut & contra Anconitanos aliquando decreverit. Vid. Heigius *d. q. 12. num. 24.* Gail. *1. obs. 28.* Mynsing. *cent. 3. obs. 56.* & Limnæus *d. l. n. 315.* II. LEGATI SEV AMBASCIATORES qui de jure Gentium sancti & inviolabiles sunt, ut & res eorum, *l. 8. §. 1. ff. de rerum divis. l. 2. §. 3. ff. de judic. c. si quis. dist. 94.* Idem putant Dd. de FAMVLIS ET COMITIBVS EORVM, Jacob. de Canibus *d. tr. §. 44.* quòd autem sint legati probabitur per literas suæ legationis, vel alio modo legitimo *l. 1. C. de Mandat. Princip.* Inviolabiles autem tantummodo ratione eorum, ad quos mittuntur, non aliorum per quorum terras, inconsulto Principe vel invito, aut dissimulato caractere, Legati transeunt; sive enim ad hostes eorum eant, aut ab hostibus revertantur, sive aliquid hostile med tentur, vinciri, imò occidi etiam, citra violationem juris Gentium, poterunt, Hugo Grotius *de jur. b. P. l. 2. c. 18. n. 5.* frustra enim *inquit* Fred. de Marselaer *l. 2. de Legat. c. 13.* & ridiculè sanctum esse velis, quod rebus tuis suâ malitiâ damnosum est.

Jure Civ. & Can. excip. Jure verò Civili partim, partim Canonico excipiuntur I. SCHOLARES; *auth. habita C. ne filius pro patre.* Sive jam applicuerint ad studiilocum, sive peregrinentur studii causâ; quod tamen eatenus admittendum, quatenus consuetudo ponitur in.

in Imperio exercendi Repressalias in ejusd. subditos & con-
 cives. Constitutio enim Friderici Imperatoris ad Imperium
 tantum pertinet, nec aliis, qui non recognoscunt superiorem,
 quicquam præscribere valida est, unde frustra in Angliâ, Gal-
 liâ &c. Germanus, studiorum gratiâ degens, Repressaliis ne
 subjiciatur, authenticam hanc alleget, nisi ejus desiderium
 gratia aliqua specialis confirmet vid. *Limnæus jur. publ. lib.*
4. c. 8. num. 316. Sed quæritur: *Num hæc habeant locum in*
civitatibus, quæ non habent privilegia studii? Distinguunt
 nonnulli inter studium juris & reliquas scientias; quia illud
 non potest doceri in locis non privilegiatis & si illud doce-
 tru delictum est §. 7. *const. de Ration. jur. doc. ad Antec.* hinc,
 qui ad ejusmodi loca minùs privilegiata accedunt, vix immu-
 nes erunt: Reliquæ autem scientiæ possunt ubiq; doceri *l. 6.*
§. 2. ff. de Excusat. tut. dicitur tamen à Doctoribus, quod i *li*
§. 7. per desuetudinem hodiè derogatum sit, cùm in locis
 non privilegiatis etiam doceantur jura, & ratio quoq; istius §.
 cesset; quia cum multi hodie jura sciant, non est timor, quòd
 tradatur adulterina scientia, ideo æquum putat Bartol. *d. tr.*
q. 7. §. 7. quòd euntes ad talia studia gaudeant hoc privilegio.
 Sic quoque immunes sunt *NUNCI*, *d. auth. ne dum homi-*
nes versuti studiosos oppignorare prohibentur, obliquâ viâ
 nuncios ipsorum morando, ipsis injuriam faciant; ut & *FA-*
MULI ad eos pertinentes, *l. 3. C. de privileg. Scholor. l. 1. l. 2. §.*
1. C. de Episc. & Cleric. Et *MINISTRI SCHOLARVM PER-*
PETVI, quales sunt *PEDELLI*, *SCRIBÆ*, *TYPOGRAPHI*, *BI-*
BLIOPOLÆ; Bartol. *d. tr. q. 7. n. 7. & Doctores communiter*;
 Concesso enim aliquo, concessum etiam id præsumitur, sine
 quo ipse honestè vivere vel habitare nequit, *l. 2. §. 1. & l. 10.*
§ 4. ff. de Usu & Habit. Sed quomodo probabit Scholaris,

quòd vadat causâ studii ? probabit ex qualitate rerum, quas defert, & similibus, *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit.* Item ex consuetudine eundi & redeundi ad studium, *arg. l. 5. §. cervos. 5. ff. de acquir. rerum domin.* & ejusmodi aliis indiciis: quod prudentiæ judicis relinquatur. II. EVNTES AD NVNDINAS, in loco seu territorio ejus, qui tenet nundinas, *l. un. C. de Nundin.* III. EVNTES AD INDVLGENTIAS APPROBATAS: *auth. omnes peregrini, C. communia de succession. ibi: liberè hospitentur &c. Gl. in l. 2. §. 3. verb. idem claudio. ff. de judic.* IV. MVLIERES, quia in propria persona non possunt capi, *auth. sed hodiè. C. de offic. divers. jud. auth. hodie novo. jure. C. de custod. reor. vid. Bartol. q. 7. n. 13. & seqq.* INFANS, FVRIOSVS, VEL IMPVBES, *l. neq. impubes. 22. de in jus voc.* V. CLERICI, *c. etsi pignorationes de injur. in 6to.* Ratio privilegii hujus hæc est, quòd, cum Ecclesiastici seculum egressi, aliis rebus derelictis, solis Dei omnipotentis ministeriis toti inhæreant &, pietate in publicum magnâ, omnium salutem pro viribus procurent; soli Christo militent, non gladiis aut hastis, sed precibus & lacrymis, quæ arma Ecclesiæ *c. placuit. 3. c. 21. q. 3 c. reprehensibile. 19. c. 23. q. 8. c. convenior 21. c. 23. q. 8.* iniquum videatur illos, pro secularium delictis aut debitis pœnas luere. *Sed num etiam Clerici conjugati non euntes in habitu?* Negamus: quia clericorum privilegiis non gaudent; *c. clerici. de clericis conjugatis in 6to.* Sed quid: *Si Episcopus vel Archiepiscopus nolit facere justitiam laicis contra Clericos, neque possit recursus haberi ad superiorem Episcopi, quia Episcopus est Tyrannus vel Schismaticus, qui non timet Papam, an hoc casu contra Clericos concedantur?* quod affirmandum videtur, quia, pro admissis propriis, cum effectu obligantur, nec à Repressaliis sunt tuti, *Gl. in c. un. de injur. in 6to.* tunc enim cessat ratio beneficii,

neficii, cum non prægraventur odio alieno, *c. dominus noster.*
 23. q. 2. Alii hoc negant, quia remedium erit, ut Ecclesiasti-
 cus iudex imploret brachium Principis secularis, cum utraq;
 potestas alteri ministret & opituletur. *c. principes 23. q. 5. c.*
cum ad verum. dist. 96. c. quoniam. de offic. ordin. c. regum. & c.
administratores. 23. q. 5. Guido Papa *in decis. 34.* vid. Martin.
 Laudens. *d. tr. n. 43.* arrogans igitur & iniqua vox illa Ponti-
 ficis, omniq; ratione destituta *in c. qualiter. X. de judic.* Præ-
 cipiatis ex parte nostrâ, ne pro defectu justitiæ, Clerici trahã-
 tur à laicis ad iudicium seculare, quod omninò fieri prohibe-
 mus. Et VI. denique omnes illi, **QVI IN IUS VOCARI NON**
POSSUNT, quorum fit mentio *in l. 2. & 3. ff. de in jus vocand.*
 Si enim non possint capi quando jam condemnati sunt, mul-
 to minùs poterunt capi pro debito & delicto alterius. Quia
 captio est quædam citatio realis, hinc si quis de populo.
 contra quem concessæ sunt Repressaliæ, eligeretur Magi-
 stratus, is non potest capi propter officium; Item si quis iret
 ab una civitate in alteram ad funus consanguinei. De quo-
 rum tamen omnium exceptione idem debet ferri iudicium,
 quale suprâ de Scholaribus. Sed quæritur hic *l. An res dicta-*
rum personarum contra quas non possunt exerceri Repressaliæ, pos-
sint pro Repressaliis capi? & generaliter sciendum est, quòd sint
 quædã personæ, contra quas non possunt exerceri Repressa-
 liæ solum ratione personæ ut mulier, infans & furiosus & simi-
 lis, & tunc sine dubio contra res eorum poterunt exerceri *arg.*
l. 19. ff. de in jus voc. Aliæ personæ sunt contra quas Repressaliæ
 non possunt exerceri propter certas causas, ut sunt Scholares
 & similes, & tunc contra res eorum quas portant vel habent
 necessarias ad illam causam, haut exercentur Repressaliæ, sed
 tamen contra alias res, *l. 4. §. 1. de publ. & vectig.* Sed quid:



Si portent res aliarum personarum, contra quas possunt exerceri Repressalia? Respondemus, quod nec illæ possint capi, modò portent dictas res necessarias ad suum usum, ut equum ad equitandum, & similes; l. 203. ff. de V. S. Secus est, si non essent necessariae, arg. l. 8. C. de SS. Eccles. II. Quæritur: An ad literas concedentis Repressalias teneatur civitas cui scribitur capere res in suo territorio sitas? quod negamus I. quia par in parem non habet imperium l. 4. ff. de Recept. qui arbit. II. quod nemo cogatur bello iuvare alium, nisi cui subjectus est, 2. feud. 28. pr. domino guerram l. culpa caret. 50. ff. de R. l. aut foedere ar. tissimo & speciali ad hoc devinctus arg. l. 7. ff. de captiv. & postlim. revers. Bartol. q. 8. n. 4.

THEOREMA XII.

Extra illas verò, specialiter exceptas personas, contra qualvis alias, ceu dictum, concessæ generaliter Repressaliæ regulariter exercentur. Id tamen hic quæritur: *Num concessis Repressaliis contra populum vel civitatem, etiam incolæ ejus populi vel civitatis comprehendantur, ita ut & contra hos exerceri possint?* Respondemus; si Repressaliæ concessæ fuerint simpliciter, ut exempli loco, contra homines Florentinos, tunc ista verba: homines Florentinos, referuntur ad municipes civitatis l. 1. §. 1. & 2. ff. ad municip. Ast verbum municipes est genus comprehens cives & incolas l. 7. C. de Incolis l. 22. §. 2. ff. ad municip. Ergò constat, quòd, virtute illorum, incolæ comprehendantur, accipe tamen hoc de incolis, subeuntibus ibi munera, l. 1. §. 1. ff. ad municip. Secus tamen, si munera ibi non subeunt, quod inde apparet, quod civitas, quem admisit, recipere potest, modo vult, arg. l. fin. ff. de legib. sed illud quod quis potest acceptare, antequàm acceptet, non dicitur in bonis ejus; Ita incola, antequàm recipiatur ad munera

nera

nera, non dicitur propriè civis illius civitatis; & sic adversus eum non possunt Repressaliæ exerceri; vid. Bartol. *d. tr. q. 7. §. 1.* Quid vero? *An qui ab origine inimici subditus fuit apud amicos degens inimicus censendus erit?* vel sic: *An repressalijs concessis simpliciter contra Belgas, ejus bona capere licebit, qui Amstelodami natus, Holmiæ in Suecia sedem fortunarum fixit.* Quod negamus. Nam propter domicilii translationem in externum locum, ejus qui alii principi vel civitati subjectus est, perit naturalitas & extinguitur, non solum quoad jurisdictionem, verum etiam quoad munera & officia, quæ neque in nativo, neque simul in externo regno, subire potest, nisi speciali decretò ordinis, aut literis naturalisationis jus indigenarum impetraverit, Rebuff. *part. 3. pract. benef. in reg. de idom.* Idque praxis omnium locorum confirmat. Hinc est, quod Hispanus eo animo mutans domiciliū, ut in Galliâ remaneat, desinit esse civis Hispanus, adeò, ut admitti non possit ad beneficia & officia perpetua regni, quæ solis naturalibus ibi habitantibus deferuntur; Peretz *ad tit. C. de municip. n. 20. de Peschwitz. d. tr. c. 8. n. 5.* Nec obstat quod de jure communi domicilium originis immutabile sit, *arg. l. 8 ff. de R. i. §. sed naturalia pen. 1. de j. N. G. & C.* Item quod originarius civis & his magistratibus, apud quos incola, parere necesse habeat, & illis apud quos civis est, nec tantum municipali jurisdictioni in utroque municipio subjectus sit, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debeat *l. 29. ff. ad munic. l. 6. §. 2. ff. eod. l. 1. l. 3. & l. fin. 3. C. de municip. & orig.* Nam illa procedunt I. quādo agitur de ipsa civitate originariā, subtilitate juris, origo enim est naturale quid, nec expressa quidē volūtate mutari aut tolli potest *l. 6. pr. ff. ad munic. l. 4. C. de municip. ex origin.* II. Cum domicilium habitationis & originis sunt in eodem regno.

gno. Idem in casu contrario obtinet in illis, qui ab initio, amicorum fuerint subditi, postea apud inimicos domicilium sumserunt, ut scilicet pro inimicis habeantur. Ita constante inter Anglos & Venetos amicitia, Anglus cui concessæ erant repressaliæ contra subditos Regis Hispaniæ, interceptit bona Veneti, qui in Hispaniâ domicilium habebat. de Peschwitz. *d. tr. c. 8. n. 5. & 7.* Nam jure Gentium inquit Grotius de jur. B. & P. l. 3. c. 2. n. 7. Pignorationi subjacent omnes subditi injuriam facientis, qui tales sunt ex causa permanente sive indigenæ, sive advenæ, non qui transeundi, aut moræ exiguæ causa alicubi sunt: Introductæ enim sunt pignorationes ad exemplum onerum, quæ pro exoluendis debitis publicis indicuntur. Sed & illud est questionis: *Annon repressaliæ concedantur contra cives & incolas civitatis concedentis, qui etiã sunt cives vel incolæ illius civitatis, contra quam conceduntur?* Quod negamus: quia jus concedendi repressalias est inductum in defectum jurisdictionis, at civitas concedens potest ordinariè in suum civem exercere jurisdictionem, ergò contra eum non extenduntur repressaliæ; *arg. l. 1. §. 2. verb. habet itaq; ff. si quis testam. liber esse juss. l. servi & filii pr. ff. de furtis.* Teneatur insuper civitas concedens repressalias, civem vel incolam suum defendere ab injuria, quæ infertur ab aliis, Ergo non debet ipsa civitas suum civem injuriâ afficere, licet sit quoque civis alterius civitatis, *arg. l. 17. ff. de Eviction.* Porrò, quando populus seu civitas aliquid concedit, intelligitur ita concedere, ut is, cui conceditur, contra se non utatur, *l. 45. §. 5. ff. de jure fisci. l. 6. §. 4. ff. de pecul. leg.* jam verò si cives seu incolæ possent capi, intelligeretur concessisse contra se ipsam. Denique concessio subintelligitur sine injuriâ privatorum concedentis, *arg. l. 4. C. de emancip. liber. l. 2. §. 10. & 16. ff. ne quid in loco publ. vel itin. fiat.*

fiat. Multo magis igitur intelligitur concedere ita, ut exercentur Repressaliæ sine ipsius civis injuria, quia si civis caperetur, læderetur Respubl. cujus interest locupletes habere subditos. vid. Bartol. *d. tr. q. 7. §. 4.*

Tandem denique hic quæritur: *An Repressaliæ possint concedi contra homines terrarum subditarum non absolutè & simpliciter, sed quoad quædam?* Disting. Nam quædam terræ sunt subjectæ alicui domino terræ vel Principi vel civitati simpliciter, sed acceperunt privilegia quædam, scilicet. certas jurisdictiones, & exemptiones, ut sunt in multis regnis, & contra has conceduntur Repressaliæ, quia verè subditæ sunt, *arg. l. Titius 9. C. de oper. libert. & l. fin. de bon. lib.* Quædam autem sunt terræ, quæ simpliciter sunt liberæ, sed se submiserunt alicui domino quoad quædam, contra hasce non conceduntur Repressaliæ, propter delictum civitatis vel domini, qui eas ita habent submissas, quia illæ sunt liberæ; *l. non dubito. 7. ff. de Captiv.* Si verò ipsæ terræ deliquerint bene contra eas conceduntur, sicut posset eis justum bellum indici. Bartol. *d. tr. q. 6. §. 8.*

THEOREMA XIII.

Porro decretæ adversus prædictas personas Repressaliæ non solum in res, sed etiam in corpora earundem exerceri possunt, ita, ut capi & detineri possint tantisper, donec læso satisfiat, Grot. *de j. B. & P. lib. 3. c. 2. n. 5. & in annot. ibid. in verb. corpora.* Vitam tamen subditorum innocentium tali ex causâ obligari, magis est, ut negemus, cum eodem Grotio *d. l. num. 6.* Cum jus vitæ plenum unicuique hominum in sese non esse, sanior & Philosophia & Theologia; imo & jurisprudentia doceat, vel per *l. 13. in pr. ff. ad L. Aquil.* cui consequenter nec ad rempubl. illud transferre potuit.

D

THEORE.

THEOREMA XIV.

Forma petē-
di Repressa-
lias.

Forma repressaliarum alia est petendi, alia concedendi, alia denique exequendi. Forma petendi repressalias in eo consistit, ut dicat creditor vel criminis persecutor & doceat I. Quod debitum sit liquidum *arg. l. un. C. de prob. seq. pec.* II. Quod debitor sit solvendo. Nam alias inanis actio, *l. 6. ff. de do. nec magistratus justitiæ denegatæ accusari potest, ubi administratio ejus impossibilis* III. Quod iudex ordinarius à se fuerit requisitus super iustitia administranda. Officium enim suum, nisi imploratus, non impartitur iudex, *l. dies 4. §. hoc autem §. ff. de damn. infect.* Neque creditor sibi ipsi jus dicere potest, *l. un. C. ne quis in sua causa jud.* IV. quod requisitione seu petitione hac insuper habita, ipsi manifestò jus fuerit denegatum, **daß dem Actori das Rechte sundlich versaget worden / & absolutus, qui condemnari meritus aut vice versa.** V. Quod ipse creditor, denegatione hac factâ, supremum deniq; Magistratum, id est, dominum vel Regem, adiens nihil obtinuerit. Bellum enim, cujus quasi species sunt repressaliæ, justè iudici non potest, quatenus via iustitiæ adhuc patet, & recursus ad superiorem haberi potest, uti probat *Wesenbec. v. 1. consil. 46. n. 23. Mynsing. cent. 2. obs. 24. & 74.* VI. quod nullum aliud medium supersit quo supplicans jus suum consequi possit, nisi concessis repressaliis. Quæ cum ita sint, pro VII. petere debet, ut repressaliæ, autoritate Magistratus, id est, Principis, vel populi, decernantur, quibus mediantibus jus sibi debitum consequatur. Quemadmodum enim in omni justo bello imprimis autoritas superioris requiritur, ita etiam in repressaliis; sufficit verò eas petere manu Regiâ, cum alia juris solennitas non requiratur; *Bartol. d. tr. q. 4. n. 2. Confer omninò Limn. j. p. l. 4. c. 8. n. 314. & Coler. de process. execut.* Sed quaeritur:



tur: Si in civitate esset aliquod statutum quod manifestam iniquitatem contineat, ita, ut si civis alterius civitatis ibi litigaret, certò succumberet, an nihilominus actor, antequam Repressalias petat, requirere debeat judicem illius civitatis? Resp. quod necesse non sit, ut judicem illius civitatis requirat, sed directè poterit requirere judicem suum, qui requirat illam civitatem, ut civi suo justitiam faciat, & iniquitatem illius statuti, quantum ad civē suum tollat; arg. auth. *casta C. de SS. Eccl. c. statutum ext. de heret.*

THEOREMA XV.

Forma in concedendis Repressaliis observanda ea est, ut Magistratus faciat hoc autoritate populi aut procerum, nisi ipse habeat potestatem autoritate propriā eas decernendi; sed quid: Si statutum vel consuetudo loci Repressalias concedat, an nihilominus consensu populi opus sit? R. quòd in hoc casu specialis consensus non desideretur, quia ubi statutum loquitur populus loquitur, arg. l. 8. ff. de j. & j. & aliàs notum est, quòd frustrā precibus impetratur, quod jure communi conceditur, l. un. C. de *Tresaur.* vid. Jacob. à Canibus d. tr. n. 23. Quia autem omnia consilio prius experiri decet, quàm armis, hinc prudentis judicis erit, invitare prius amica compellatione, ad coercionem delinquentium & pœnitentiam, quo discordiæ bonis conditionibus sopiantur, exemplo Romanorum, qui sæpè legatos antè mittebant res repetitas, renunciabant amicitia, si non redderentur, Livius l. 1 36. & aliorum populorum, qui prius more legitimo quæri malunt, quàm statim ad arma procurrere. Quibus omnibus observatis, si nihil proficiatur, meritò Repressaliæ conceduntur. Vid. *Limn. d. l.*

Forma concedendi.

THEOREMA XVI.

Forma exequendi consistit in ipsâ captione, seu prehensione, Forma exequendi.



quendi Re- fione, & detentione corporum aut rerum civium alterius
 pressalias. Reip. & huic quidem jure Gentium certus modus præscri-
 ptus non est. Sed consultum tamen, ut populus vel Princeps
 præscribat modum ac normam executionis, quam observent
 subditi; facile enim à medio recedimus cupiditatum æstu
 abrepti, nî circulo & lineâ nos includat sana superiorum au-
 toritas, quod & diserte & benè monet Limn. d. l. n. 316. &
 seqq. Sed quæritur: *An Repressaliis concessis, quilibet ca-
 pere possit homines & res vigore Repressaliarum per se & pro-
 pria auctoritate, an verò per ministros publicos?* Et distin-
 guendum hic quoque est inter jus Gentium & Civile. De il-
 lo singulis, & auctoritate quidem propriâ, capiendi jus est, ut
 & Athenis in Androlepsiâ; Grotius de j. B. & P. l. 3. c. 2. n. 7.
 Petr. Gregor. Synt. l. 38. c. 7. n. 3. De Civili autem jure vide-
 tur quod non possit per se & propria auctoritate id facere, l. 6.
 §. 2. ff. de re iudic. l. 176. ff. de R. l. accipe eo casu, quando
 copia judicis haberi potest, qui concedit suos ministros, nam
 aliàs poterit per se capere, l. 10. §. 16. ff. qua in fraud. credit. l.
 54. C. de Decurion. l. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam. Tutius ergo
 erit, ut quis in concessione expressè poni curet, quòd ille, cui
 conceduntur Repressaliæ, possit per se & sua auctoritate ca-
 perere res & personas; Bartol. q. 9. num. 1. retinere tamen pri-
 vato suo carcere personas captas nemo potest arg. l. 54. C. de
 Decur. nisi expressè dicatur in concessione, quod possit in suo
 privato carcere retinere. Bartol. q. 9. n. 2.

THEOREMA XVII.

*Finis Repressaliarum est, ut suum cuique tribuatur vis &
 injuria reprimatur, nec pereat justitia, Gail. 1. obs. 28. n. fin. &
 de pignor. obs. 2, n. 3. Utq; Magistratus discant impofterum
 cautius*

cautius mercari, metu enim Repressaliarum Magistratus omnibus tam subditis quàm exteris justitiam administrare coguntur.

THEOREMA XVIII.

Effectus alius est à parte *Repressaliantis*, alius à parte *Repressaliati*. A parte *Repressaliantis*, jure quidem Gentium ipso statim facto dominium rerum captarum acquiritur ad summam debiti, & sumtuum, ita ut residuum reddi debeat; Grot. *d. l. n. 7.* jure verò Civiles captæ in causam judicati manent penes capientem, *l. 5. §. 22. ff. ut in poss. legat. vid. Bart. q. 9. n. 2.* Ne autem furtum vel fraus in illis fiat, necesse erit, citatis iis, quorum interest, aut in præsentia publicarum personarum inventarium super his conficere, secundùm Baldum *in auth. sed omninò C. Ne uxor pro marito. Heigium q. 12. n. 62.* Quo facto, aut dividentur; aut addicuntur iis, quorum interest. Utrumq; tamen autoritate publicâ judicis, qui eas æstimet *l. 1. §. fin. C. de jur. dom. impetr.* Venditio enim non potest propriâ autoritate fieri, *l. 6. §. 2. ff. de rei iudic.* In computatione verò ejus, quod quis recipit, debet fieri detractio expensarum factarum in prædictis, *l. fin. §. in computatione. 9. C. de iure delib. l. 72. ff. ad L. falcid. &* si quippiam superest, id domino debet reddi, qui, totius negotii confecti testimonio recepto, aut Magistratum suum, qui temeritate propriâ Repressaliis occasionem dedit: (secus si injustè, & contra æquum & bonum Repressaliæ concessæ probantur, *arg. l. si per imprudentiam de Eviction. l. sed de damno 41. ff. locati conducti.*) aut concivem suum, pro cuius debito solutio facta, conveniat, & suum, quod amisit, recuperet. Et hic quidem est *Effectus Repressaliarum à parte Repressaliati.* At qua actione recuperabit? variant hic Doctores mirum *Qua actio-*

ne Repressa- in modum , alii hanc , alii illam eligentes. Nos cum iis
liatus recu- facimus , qui duplicem actionem competere ajunt. VNAM
perabit quod negotiorum gestorum utilem, *l. utiliter. 45 ff. de negotijs gestis.*
amisit. Non solum illi competentem , qui ad aliena negotia spontè,
 verum etiam ei, qui aliqua necessitate urgente, vel necessitatis
 suspicione accessit, *l. 3. §. 10. de Negoc. gest.* Sed nec tam id con-
 siderantem, an aliqua utilitas ad verum debitorem redundet
 nec ne , quam , ne necessarius negotiorum gestor in damno
 verteretur *l. 45. §. 2. ff. de negoc. gest.* Quamvis nec verus debitor
 extra omnem utilitatem positus, dum solutione hâc à credi-
 tore, qui repressalias exercuit, fuit liberatus, *arg. l. 43. ff. de neg.*
gest. ita ut ille eum amplius non habet effectualiter obligatum,
pr. l. quib. mod. toll. obl. Limn. d. l. n. 319. ALTERAM actio-
 nem in factum, quam in defectum Aquilæ, Prætor dat ad-
 versus illum , qui occasionem damni præbuit , *§. ult. l. de L.*
Aquil. l. 9. §. 2. l. 29. §. pen. ff. eod. l. 3. §. 1. l. 4. ff. de servo corrupt.
Birtol. in l. nam & Servius pr. n. 2. ff. de negoc. gest. damnum
 enim, ab inimicis alicujus illatum, eiusdem culpâ illatum cen-
 setur , & proinde ab illo resarciendum, licet inimicitia cau-
 sam ille reverâ non dederit, *l. si merces. §. culpa. ubi Gl. & Dd.*
communiter ff. Locat. cond. vid. Heig. d. l. Quid: si principalis
debitor non fuerit solvendo ? tunc Magistratus illius loci, to-
 taq; universitas actione subsidiaria tenebitur , *arg. §. sciendum*
2. l. de satisdat. tut. & cur. l. 1. pr. §. 9. l. 3. l. 7. ff. de magistr. conv. ad
restitutionem damni & omnium expensarum in solidum, l. 7.
& fin. ff. eod. damnum enim pro communionis ratione acce-
 ptum omnium contributione sarciri æquissimum est , *arg.*
l. 12. C. de oper. publ. l. 1. ff. ad l. Rhod. de jact. l. 5. in fin. ff. eod. Si verò
 nec ipse iudex existat solvendo, venit ad alios officiales, qui
 requisiti, cum possent alios cogere ad faciendum, aliis solvere
 negle-

neglexerunt, arg. l. 1. §. 10. & seq. ff. de Tut. & rat. distr. Bartol. de Repress. q. 10. §. 2. Sed quæritur: Annon Repressaliato qui nullibi potest jus suum consequi, licebit vicissim homines de civitate, propter quam fuerit Repressaliatus, Repressaliare. Quod negamus, quia vindictam & ultionem privatam leges & iura divina prohibent, l. scientiam 45. §. qui cum aliter 4. ff. ad L. Aquil. l. 1. C. unde vil. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. Deuter. 2. mihi vindicta & talio est. & in epist ad Rom. mihi vindicta & ego retribuam.

THEOREMA XIX.

Cognata denique repressaliis sunt I. pignoratō. II. Arrestum, nec non III. Clarigatio & IV. Græcorum Androlepsia. Quæ tamen omnia in non paucis ut conveniunt, sic etiam differunt à Repressaliis. Et pignorationes quidem differunt. I. causa, nam pignoratō ortum habet exturbatione in ea re vel jure, cujus possessionem vel quasi ad nos pertinere asserimus; Repressaliæ verò ex capite denegatæ justitiæ contra homines illius Magistratus qui nobis justitiam exhibere recusat. II. processu, quia pignoratō fit propria autoritate eius, qui vult ius suum tueri, etiam non præcedente cognitione, vel licentia iudicis; In Repressaliis autem creditor prius veniam debet impetrare à superiore seu Domino antequam personas & res alterius capit. III. Obiecto, quia pignerator vel ipsum turbatorem vel res eius qui cum eo contraxit vel in eum deliquit capit; per Repressalias autem detinentur non tam persona vel res ipsius debitoris, sed cuiuscunque subditi qui sub iurisdictione eius est qui iustitiam denegavit Coler de process. p. 1. c. 2. n. 339. usq. ad fin. Gal. de pignor. obs. 1. num. 5. Mindan. de process. l. 1. c. 46. §. 2. num. 5.

THEO-

THEOREMA XX.

Magna similitudo & cognatio est Repressaliarum & Arrestorum, Arresta enim sunt iniectio manuum seu impedimentum, quo alicui à Magistratu interdicitur, ne loco excedat, nisi rebus cum actore compositis. Similitudo in his est: quòd sicut Repressaliæ sunt manus iniectio & remedia extraordinaria, ita & arresta. Differunt verò quoad illa, quod in Repressaliis promiscuè innocentes cum nocentibus & non nisi ex causa iustitiæ denegatæ, vel frustratorie dilatæ, capiuntur, id quod secus in Arrestis; ut videre licet apud Papon & Lorch. *in tr. de Arrest.* quomodo porro conveniant, & differant Clarigatio, Androlepsia & Repressaliæ Vid. apud Heigium p. 1. *quest. 12. n. 6. & seqq.*



C O R O L L A R I A.

I.

Leges forenses Mosaicae necessario in Republ. Christiana retinenda non sunt.

II. Constitutio l. 5. C. ad L. Iul. Maiest. qua filii, ex delicto patrum perduellium, puniuntur, iniusta non est.

III. De Delictis, pœnam sanguinis ingerentibus, transactio licita est.

IV. Prohibitio graduum, qua habetur Lev. 18. est iuris etiam naturalis, non solius iuris divini judicialis.

V. Unde ultro fuit, Papam de Matrimonio, in eiusmodi gradibus contracto, dispensare non posse.

VI. Furtum etiam iure naturali prohibitum est.

VII. Actionis definitio in pr. Inst. de Act. est generalis, omnes sub sese complectens actiones.

F I N I S.




00 A 6293 (1)

ULB Halle 3
002 925 354



Bto ✓







DISSERTATIO
INAUGURALIS,
De
JURE REPRESENTATIONUM.


Quam,
D.O.M. annuente,
EX DECRETO ET AUTORITATE,
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI
ICTORVM ORDINIS, IN ILLVRSRI ACADEMIA
MARPVRSI,

Pro
Summis, in utroq; Jure Honoribus ac privilegiis
DOCTORALIBUS, ritè & justè obtinendis,
Publica ac solenni Procerum Academicorum examini
submittit

HERMAN OTTO Lürcke/
HANNOVERANUS.

In ICTorum AUDITORIO H. Lq̄. C.

Die XXVIII. Junii.



MARPURGI CATTORVM

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Academia Typogr.
Anno clc lxc LX.